



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Fundamentum spirituale ingressurus religionem, cuiusmodi iacere,
quæq[ue] huic superstruere debeat. Epist. XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

D.VI
16

niciosa, quæ oritur ex superbia.

Novitius qui studet excusare, fallere, & cælare magistrum, à vitis non curabitur, sed corruet in mala peiora.

Novitius
subdolos.

Novitius quem timere habet magister, vel cui non audet dicere magister dicenda, non audet eum arguere, corripere, defectus indicare &c. manebit infirmus, onerosus, & tandem periclitabitur.

Novitius
impatiens.

Novitius qui satagit omnia inquirere, & sibi non proficua appetit scire, gaudet visitatione secularium aut leuium personarum & cætera signum habet euidentis, quod animo nondum est religiosus: & quamdiu ita manet, modica speratur in eo deuotio.

Novitius
mundo de-
ditus.

Novitius tardus ad officia sua, negligens in operibus suis, non præuidens per se agenda aut cantanda, sine timore, sine sollicitudine, sine verecundia, nunquam bonus erit monachus, sed pane etiam indignus.

Novitius
negligens.

Novitius tristis ilico fiet & acediosus, & ponit nidum diabolo. Vale fili charissime.

Novitius
tristis.

Fundamentum spirituale ingressus religionem, cuiusmodi iacere, quæq; huic superstruere debeat.

Epistola XXV.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS, CARTHVS.

Henrico filio charissimo Ordinem Prædicatorum ingressuro.

Fili charissime, vt satisfaciam crebris petitionibus tuis non nihil scribendo, quod instituto tuo accommodum sit, hæc pauca asigno, quibus te præmoneam, Prædicatorum Ordinem ingressurum.

Fundamen-
tum mona-
sticum susce-
pturo quod
esse debeat.

Fundamentum tuum sit Christus, vt pro huius amore seculum relin-
quas, & quicquid in via Dei impedit, missum facias: quicquid ar-

dui tibi imponitur libenter, & hilariter feras. memor semper quod homini-

bus non seruis, sed Deo, nec ab hominibus remunerationem (puta aliquid

laudis, gloriæ, temporalisue commodi) quæris, sed à Deo expectas. Super

hoc fundamento sit ædificatio tua, vt quicquid faciendum, quicquid omit-

tendum, quicquid tollerandum quicquid fuerit dicendum, purè & verè fa-

cias propter Deum, hoc est, vt illi placeas, vt eius gratiam merearis habere, vt

illi fidelis inueniaris, vt in oculis eius fias illi acceptior, vt illi magis semper

accedas & propius, vt magis illum ames fortiusq; eidem inharreas, &c.

Si hoc perfectè cor tuum ita impleuerit (vt scilicet in omnibus quæras

Deum) parum mouebit te, si opera bona tua ac studia (de quibus testimoni-

um habes bonum conscientia, & superioris tui) cæteri homines derideant.

Si tamen fieri potest, quantum in te est, nulli hominum occasionem præstes

deridendi (intellige iustam) odiendi, despiciendi, calumniandi, peccandi, sed

potius diligendi, ædificandi &c. ita tamen, quod te ipsum non quæras in hoc,

sed Deum, scilicet ne quis turbetur, ne quis peccet, ne quis pacem suam amit-

tat, ne quis Deum offendat.

Hoc debet fieri quantum in te est, bona faciendo, mala tolerando, iram,

aut malevolentiam alienam dissimulando, & bona etiam quandoque, quæ

Vt omnia
nostra refe-
tamus in
Deum.

necessa-

Ut nunquam
fit Deus of-
fendendus
pro pace a-
liorum.

In quibus
non sit ob-
sequium
superioribus

Ut in cere-
monijs ani-
mus ad Deum
etigendus sit

Lectio mo-
nachi quali-
tate debet.

Conciona-
tor quis non
ad modum
profit.

Studium or-
ationis
quod sit.

necessaria non sunt aut singularia ad tempus omittendo (scilicet propter charitatem fraternam, aut inuidiam sedandam) seu celando, item informando, & rationem reddendo. Nunquam tamen pro pace aliorum debes transgredi Dei, aut Ordinis atque superiorum voluntatem, sed potius odia & incommoda pati pro honore & beneplacito Dei seruando.

Ne autem in iudicio talium erres, & ne nimium tuo sensui fidas, habes Prælatum, quem ut Deum debes consulere, & eius iudicium in cunctis approbare & exequi. In dubijs (quicquid tibi etiam videatur) non potes tu errare, sequendo Prælati iudicium. Nam etiam si ipse erraret, immunis tu eris à peccato: In manifestis autem quæ illicita sunt, ubi non hæstas, ibi non oportet interrogare, aut errorem alienum sequi. Si Prælatus iuberet ut mendacium diceres, non oportet obedire. Si non potes accessum habere ad Prælatum (forsan occupatum) habeas aliquem alium Deum timentem, qui honorem Dei, tuam salutem atque profectum zeletur, quem interroges, & ductorem atque directorem sequaris & cætera. In occulto siue in publico in societate & in solitudine serues obedientiam tuam: quia Deus tuus quem solum metuis, diligis, colis, veneraris, & propter quem omnia agis ut illi placeas, videt & obseruat te vbique.

Cerimonias igitur omnes & obseruantias secundum obedientiam facias diligenter ac strenuè pro loco, tempore, & modo, ut debes, sisq; semper filius obedientie. Id autem facias cum intentione actuali, quantum fieri potest, aut saltem habituali, ut huiusmodi abnegatione tuæ voluntatis, & mortificatione interioris & exterioris hominis Deum colas, eidemq; placeas. Assuescas huiusmodi ceremonijs & obseruationibus vitale aliquid infundere, puta, cuncta faciendo cum eleuatione & directione mentis interim in Deum, atque exteriora opera conuertendo in orationem. Ita enim fiet, ut quæcunque feceris, non mortua, non sterilia, non ex consuetudine, nec (ut fatui somniant) ex Iudaismo prodeant: sed iugis ea ipsa oratio, iugis cultus, & indeficiens alloquutio ad Deum sint.

Lectio tua sit, ut te ipsum cognoscas, ut Deum sapias, eius amore traharis, eius beneplacitum cognoscas, accendaris ad exequendum, discas quæ sint virtutes, quæ vitia, quid sequendum, quid fugiendum, quid amandum, quid detestandum, quid desiderandum, quid mortificandum, quid tibi desit, quid male adsit. Eiusmodi libros, qui talibus congruunt studijs studiosè legas. Nisi enim hoc fundamentum, boni scilicet Monachi, priùs iactatur, non erit bonus monachus.

Intende summo studio cordis puritati, affectibus vitijs mortificandis, vitijsq; exterminandis & proderit tibi plus, hoc est, maiorem illuminationem recipies ex vna lectione, quam alij, qui ambulant in vanitate & curiositate cordis sui, triginta lectionibus. Non est utilis prædicator, nisi magis prædicet illuminatus, quam doctus, id est, nisi plus habeat de spiritu, quam littera. magis sapiat, quam sciatur: amet quam disputet. Doctorum qui deuotionem carent spiritus, verba non accendunt. Beatus ille est, cuius mentem & possidet eruditio, & irrorat sancta affectio. Primum ergo stude tibi, deinde ceteris. Primum discite ut virtus tibi sapiat, ut in hæreat: deinde stude, quomodo magistraliter de ea disputes & diffinias quomodoq; doceas alios.

Inier

Inter fratres vbiq[ue] gratam quandam p[re] te feras verecundiam, humili-
tatem obsequiosam, serenitatem in vultu maturam, taciturnitatem non a-
maram, non stomachantem, sed dulcem, vt vultum habeas quasi omnibus
(citra leuitatem) arridentem. Quando alij adiocantur, quando etiam pun-
gunt, aut scommata iaciunt in te, perinde subrideas modicum, vt qui bono
corde ac simplici omnia intelligas, atque accipias. Item & stomachum si sen-
tis, ora claudas, ne aliquid exeat malignum, & vim tibi faciens, cogas te ad a-
llicitatem, ac quasi nihil tibi factum sit, aut non intellexeris, sed vt ante se-
renum & amicabilem te exhibeas.

Contentiones nunquam recipias, sed cedas aliorum opinionibus, maxi-
mum inde lucrum pacis & tranquillitatis recepturus. In licitis semper vo-
luntatem alterius tux p[re]feras, & habebis magnam pacem & charitatem. A-
liorum defectus, secreta, occupationes, & prorsus quicquid te non edificat,
quicquid ad te non pertinet, non scruteris, non velis audire nec scire, sed po-
tius nescire studeas (ne charitas in te fraterna l[es]atur) & que vides, multa vi-
dendo non videas, interpretando in meliorem partem omnia, & charitate
cooperiundo. Nunquam tamen debet malum placere: etiam non debes leui-
ter malum iudicare, sed excusare, aut generaliter nihil intronittere te dea-
lien[is], nunquam velle iudicare.

Si patres tui voluerint vt studio Philosophiæ incumbas, obedias eis ex a-
nimo, & conare illud studium ad Deum dirigere, vt scilicet proficit futuro
tempore tibi ad Theologiam ita similia omnia in Deum ordines. Nihilomi-
nus habeas (exemplo Sancti Thomæ, qui cum studijs speculatiuis & disputa-
tiuis fuisse fatigatus, reuocabat animam ad deuotionem, & spiritum colli-
gebat in lectione Collationum patrum &c.) lectiones crebras, sed breues (ve-
luti memorialia quædam sancta atque furtiua) ex libris deuotissimis effe-
ctum insiammantibus, ne spiritu inter Philosophica sola versatus, frige-
scas. Si aliquem offenderis, mox profunda tui humiliationis & petitione ve-
nix ipsum places atque reconcilies. Si tamen iratum aut auersum tibi ali-
quem sine causa, puta ex displicentia aut inuidia aliqua, deprehenderit, fac
quasi nescias, & eo magis obsequiosum, affabilem, humilemque illi exhi-
deas, vt sic occulte animum eius lenias, lucrerisque Christo animam eius. Hæc
paucæ ne te contempseris, videar, scribo. Nam ex lectione librorum spiritua-
lium reliqua plenissime hauries. Sunt autem opuscula multa, quæ legere de-
bes, scilicet Bonauenturæ Seraphici doctoris, quæ in secunda parte opuscu-
lorum eius impressa inuenies &c. Item formulam honestæ vitæ quæ alias no-
minatur spectulū &c. Reuera tamē eius Autor est idem, qui est libri profectus
Religiosorum, scilicet David de Bauaria ordinis S. Francisci, valdè utilis pro
Nouitij S. Vincentij Ordinis Prædicatorum de vitali spiritali. Et Albertus
Magnus de adhaerendo Deo eiusdem Ordinis. Humbertus etiam Ordinis e-
iusdem de eruditione Claustralium seu Religiosorum. Albertus quoque quæ-
dam librum scripsit de veris & falsis virtutibus discernendis. Directorium
Contemplatiuorum, præsertim de XII mortificationibus, Viginti memora-
lia, & viginti quinque passus virtutum, qui ascribuntur tamen Bonauentu-
ræ, Confessionale S. Thomæ, vel de puritate conscientiæ. Stimulum amoris
diuini. Vitas Patrum, Collationes Patrum, cum cæteris à Ioanne Cassiano

Vt erga alios
monachos
se gerat.

Alienorum
vt debeamus
esse incu-
tiosi.

Studium
philosophiæ
quo retor-
quendum.
Modus stu-
den di S.
Thomæ A-
quinatis quis
Erga iracun-
dum ac in-
uidum quo-
modo quis
se gerat.

Qui libri fa-
ciant ad pie-
tatem.

T

scriptis.

Henricus Sufo vbinam sepultus sit.

scriptis. Horologium æternæ Sapientia ab Amando, alias dicto Henrico Sufone Prædicatorij Ordinis in Vlma sepulto. Sunt alij libri multi, quos experientia comperies deuotos, id est, inflammarios. Omnia hæc referas ad consilium tui magistri, & secundum eius iudicium agas viriliter, age & confortare in Domino, cui me tuis precibus commendes & bene vale.

Beatissima virgo Maria, & cor Iesu Christi suauissimum quanta in ueneratione deuotioneqz, haberi debeant ab his, qui vitam suam corrigere volunt.

Epistola XXVI.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS. suo charissimo filio, iuxta angulum cœmiterij habitanti, deuotionis augmentum.

Charissime fili, hortor moneoqz te studiosius quo possum, vt imaginem B. Mariæ iuxta cellam tuam nunquam sine reuerentia pretereas. Saluta eam cuius est imago, dicens. *Salve dulcis & formosa, mater Dei gloriosa, adopta me in filium.* Interim feruentissimo desiderio optes à te quicquid illius oculis displicet, in te auferri, quicquid placet, per eam tibi à Deo impetrari. Veneratione sedula sis Beatae Mariæ deuotus, quia sanctissimi omnes leguntur, & ex scriptis suis cognoscuntur eam singulari affectione dilexisse. Innumeri peccatores per eam conuertuntur atque Christo reducti, & quotidie reducuntur, qui primo ad Bearam Mariam accedere non trepidant vt pote clementissimam omnibusqz benignissimam.

B. Mariam vt sancti omnes venerati sint.

Cor D Iesu vt sit colendum.

Cor Domini Iesu, apertum tibi magna deuotione introeas illud sedulo venerando, per hoc petenda postulando per hoc exercitia tua offerendo: quia charismatum omnium est apoteca & ostium, per quod nos ad Deum & ipsi ad nos accedit. Itaque figuram aliquam dominici cordis, aut quinque vulnorum, aut cruentati Iesu, vulneribus ac liuore faucij ponas in loco aliquo quæ sepius transire habeas, quo scilicet sepius ob exercitij tui & amoris excitandis in Deum admonearis. Hanc intuens, memor sis exilij tui, miseræqz captiuitatis in peccatis. Proinde gemebundis suspirijs desiderioqz feruenti cor tuum erigas ad Deum, & mente duntaxat sine strepitu oris aut etiam verbis, si hæc te iuuant, ad illum clama, desiderans cor tuum mundari, atque cum Christi corde, id est, cum diuino beneplacito tuam voluntatem vniri. Posses etiam, urgente deuotione interna, figuram hanc, id est, cor Domini Iesu osculari, & animo tuo persuadere, quasi verum deificum cor Domini Iesu sub labijs habeas osculandum, in quod cor tuum imprimere gestias, atque spirituum tuum immergere absorberiqz. Aut desideres videarisqz tibi ex gratioso corde ipsius, attrahere in cor tuum spiritum eius, gratiam quoque eius & virtutes, ac prorsus quicquid fuerit ibi (quod mensuram excedit) salutare. His enim omnibus cor Iesu exuberantissime icatet. Expedi autem, & valde pium est cor Domini Iesu deuotè honorari: ad quod in omni necessitate confugas, vnde consolationem quoque & omne consilium haurias. Nam vbi cunctorum te mortalium corda deseruerint, vbi imposuerint tibi, securus esto, hoc fidelissimum cor te non decipiet, nec derelinquet.

Cor D. Iesu honorare quam sit conducibile.